



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opvscvlvm, De Vitis  
Romanorvm Pontificvm**

**Liutprandus <Cremonensis>**

**Mogvntiae, 1602**

XCVII. S. Hadrianvs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11115**

erigere non posset, & taliter languens vitam finiuit. Constantinus verò decurso anni & mensis spacio à Romanis & Longobardis repente superuenientibus, interfecto vno ex fratribus suis, capitur. Deinde prædicto Papæ Stephano iam electo præsentatur, ibiq; assistentiũ iudicio deponitur. Postmodũ prædictus electus in Pontificẽ ordinatur. Inter hæc Theodorus Episcopus Constantini Vicedominus à turba raptus oculis priuatur, lingua truncatur, & Passius eiusdem Constantini germanus excæcatur, & ipse Constantinus demum capitur, lumine priuatus, miserè in platea iacere relinquitur. Deinde pro impiæ inuasionis præsumptione Synodo in vrbe Romana congregata, primò omne scriptum de eius actionibus gestum igni mandatur. deinde statuitur, vt omnia, quæ isdem Constantinus in Ecclesiasticis sacramentis, aut diuino cultu egerat, iterarentur, præter sacrum baptisma, aut sanctum chrisma. De contumacib. & inobedientib. & contetioni & scádalo insistentib. præcepit, si post primã & secundã admonitionẽ se minimè correxerint vt quasi zizaniorum seminatores ab Ecclesiæ gremio abiiciantur. Hic constituit 7. Cardinales Episcopos, qui alternatim in Ecclesia B. Petri Apostoli hebdomadas celebrarent, & hymnum angelicum in Missarum sollemniis decantarent. Hic ordinauit Episcopos 10. presbyteros 5. diaconos 4.

## XC VII.

## S. HADRIANVS.

A. DCCCLXXII.

**A**DRIANVS, natione Romanus, ex patre Theodoro, de regione Via lata, sedit annos 23. menses 10. dies 7. Hic vir valde nobilis, & fortissimus orthodoxæ fidei, & patriæ suæ, & plebis sibi commissæ defensor, ad sedandas calumnias, & deuastationes, quas Desiderius Longobardorum rex in bonis S. Petri exercuit, KAROLVM magnum Francorum Regem Romam vocauit. Qui cum quinto anno regni sui illuc venisset, inter cætera, quæ ab ipso ibi magnificè gesta sunt, etiam partem aliquam Saxonix in prouincia Westfalia, quam ad fidem Christianitatis conuertit, vt ipse iam prædictus Papa præcepit, & docuit, secunda feria Paschæ in basilica S. Petri Apostoli inter cætera, quæ ad manum Papæ offerebat, Deo in sacrificium obtulit, & in loco Osbrugge vocato Episcopatum constituere, & decimis nouiter ad fidem conuersorum, si sanus & incolumis remeasset, Papa ita dictante, & priuilegiis suis confirmante dotare deuouit. Ordinauit autem Episcopos 186. presbyteros 24.

*Vide Alb. Kranz. metrop. lib. 1. c. 2. & lib. 2. Saxon. c. 11.*

ros 24. diaconos 6. Qui defunctus est Kalendis Ianuarii. Hic Episcopis Hispaniarum Epistolam destinavit, in qua multis rationibus, multisq; multorum auctoritatibus, Christum verum, & nō putatium, proprium, & non adoptiuū patris filiū esse comprobavit.

## XCVIII.

A. DCCXCV.

## LEO III.

**L**EO, natione Romanus, ex patre Azuppio, sedit annos 20. menses 5. dies 16. Hic in natali S. Stephani protomartyris electus est, & insequenti die ordinatus est. Hic cum ex more paratus in Letania, quæ maior dicitur, incederet, ab iniquis Romanorum captus, oculis est priuatus, & lingua truncatus, in arctaq; custodia reclusus. Sed Deo cooperante, & B. Petro suffragante, & visum recepit, & lingua ei ad loquendū restituta est, & ex ipsa custodia liberatus Dei auxilio ad KAROLVM Regem, & Romanorum patritium profectus est: à quo & deuotissimè susceptus est. Quod nefandissimi Romanorum audientes falsa crimina ei imponere studuerunt, vt Regi & omnibus eum ita odiosum efficerent. Sed prædictus Pontifex ad sedem suam reuersus paulo post prænominato Rege præsentem cunctisq; et clero & populo præsentibus, non coactus, sed spontaneus de impositis criminib. iureiurando se expurgauit. Post hæc die Natalis Saluatoris nostri ab omnibus prædictus rex, Romanorū Imperator Augustus est constitutus, & à Papa nominato Pontifice coronatus, & ita eius tempore primum Romanorum imperium peruenit ad Francos. Hic constituit, vt tres dies ante Dominicam ascensionē Letaniæ celebrarentur. Hic ordinauit Episcopos 136. presbyteros 30. diaconos 11. sepultus est .a. 2. Idus Iunii.

## XCIX.

A. DCCCXVI.

## STEPHANVS V.

**S**TEPHANVS, natione Romanus, ex patre Marino, sedit menses 7. Hic ordinauit Episcopos 5. presbyteros 9. diaconos 4.

## C.

A. DCCCXVII.

## PASCHALIS.

**P**ASCHALIS, natione Romanus, ex patre Bonoso, sedit annos 7. menses 5. dies 13. Ordinauit autē Episcopos, presbyteros, & diaconos per diuersa loca. Hic de his, qui ob causā frigidæ naturæ se dicunt